# Bolletí de la Societat Arqueológica Luliana

*PALMA.—JUNY DE 1905*


SUMARI


I. Antichs Privilegis y Franqueses del Regne. Regnat de Jaume III. (Majoría d' edat), per *D. Pere A. Sanxo.*

II. Noticiario formado por D. José Barberi, Pbro., publicado por *D. J. L. Garau,* (continuación).

III. Sindicat fet per alguns pagesos lleals a la ciutat (recatxats) per obtenir del Rey no esser compresos en la condempnació general de la part forana—8 Agost 1454, per *D. E. Aguiló.*

IV. Inventari de la heretat den Berenguer Vida, 1388, (continuació), per *D. M. Obrador.*


# ANTICHS
# PRIVILEGIS Y FRANQUESES DEL REGNE
## REGNAT DE JAUME III
(MAJORÍA D' EDAT)

### VIII

**v idus Maii M CCC xxxiv**

*Lo gouernador totas sepmanas es tengut entrar en la preso e fer la visita de aquella.*

Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto locum nostrum tenenti in regno Maioricarum, salutem et dilectionem. Guillermus Arnaldi de Insula, domicellus, Philippus Valentini, Paulinus Brondo et Raymundus de Olorda, nuncii ad nos missi pro parte fidelium nostrorum juratorum et proborum hominum Maioricarum, a nobis suppliciter petierunt, vt super expeditione et liberatione multitudinis captorum que sepe est et quasi continue in nostra curia Maioricarum et illorum jurium absque redibentiis seu exactionibus insolitis prouidere de opportuno remedio dignaremur. Benigne igitur per nos supplicatione huiusmodi exaudita, mandamus vobis, quatemus ad dictam curiam septimanis singulis personaliter accedatis et sciatis vos inde debite informando, absque tamen forma litigii et scripturis, personas captorum ibi singulariter et distincte et causas ex quibus detinentur et alias circumstantias quaslibet super his facientes, prouidendo ex tunc circa liberatione cuiuslibet capti et expeditione eorum, jurium prout videritis faciendum, ex quibus nulla redibentia aut exactio indebita subsequatur super eis, taliter vos habentes quod nullus ibi in carceribus diutius indebite maceretur. Dat. in loco de Turri subtus Elnam quinto idus maii anno Domini M° CCC° xxxiiij.

Jurisdiccions e Stils fol XVIII.

### IX

**Idus Julii M CCC xxxiv**

*Que los iurats puxen posar les talayes.*

Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto Petro de Pulchro Castro, militi, domino Villelonge, locum nostrum tenenti in regno Maiorica-

rum, salutem et dilectionem. Per fideles nostros iuratos Maioricarum missus ad nos nuncius, Arnaldus Ferrarii, notarius Maioricarum, obtulit nobis capitula, inter que est capitulum sequens: Item com sia acustumat per los iurats de Mallorques posar talayes a la ylla de Mallorques e pagar lo salari daqueles, e lo vaguer de fora, contra la voluntat dels dits iurats, aia posades e entene a posar les dites talayes, que placia al senyor rey manar al dit veguer he als altres curials, que ells no degen posar les dites talayes, ans lexen aquelles posar als dits iurats, e en aço nols sia fet ningun constrast. Mandamus itaque vobis, vt super dictis talayis ponendis faciatis seruari quod et prout est fieri consuetum. Dat. Perpiniani idus iulii anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto.

Abelló fol XCIV v.°

## X

### v idus Martii M CCC xxxiv (N. 1335)

*Quod per juratos et probos homines Maioricarum eligantur iiij^or probi homines, de quibus gubernator accipiat vnum pro officio mostaçafii.*

Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto locum nostrum tenenti in regno Maioricarum, salutem et dilectionem. Per Guillermum Arnaldi de Insula, domicellum, Philippum Valentini, Paulum Brondo et Raymundum de Alorda, ad nos missos nuncios pro parte fidelium nostrorum juratorum et proborum hominum Maioricarum, fuit a nobis supplicando petitum, vt, cum regenti officium mostaçaffarie Maioricarum adhibeatur magna fides, et propterea expediat bonas personas poni in illo, eis qui regent officium ipsum potestatem aliquam tribuere, ne accusatores appareant in bannorum denuntiationibus, et bonas personas ordinare in illo constitui dignaremur. Quare mandamus vobis, vt quatuor vel plures personas et diuites de Maioricis faciatis vobis per dictos juratos pro dicto officio nominari, de quibus nominatis vnum assumatis et constituatis in illo, qui tantum ibi presit ad annum, et inde anno quolibet debeat fieri per dictos juratos nominatio eiusdem conditionis et numeri personarum, et per vos et successores vestros in officio vestro vnus constitui de nominatis; quiquidem constitutus juxta predicta habeat sagiones ad seruitium officii sui, per quos fieri faciat compulsiones debitas, in personis et bonis, ac pignerationes contra illos qui in banna inciderint et alias, prout incumbet officio eius; et idem sic constitutus tanquam officialis noster juret in posse vestro ad Sancta Dei Euangelia, quod bene et fideliter se habeat ad ipsum officium exercendum; et possit ex officio suo et presenti nostra concessione dimittere banna, in totum vel in partem, que fuerint quinque solidorum vel infra; de bannis vero que fuerint triginta solidorum uel infra possit dimittere et relaxare dimidiam partem dumtaxat; alias graatias uel maiores facere nequeat nisi de uestri speciali conniuentia et assensu. Hec itaque seruetis firmiter et faciatis etiam obseruari. Datum in loco de Turri subtus Elnam quinto idus martii anno Domini M° CCC° tricesimo quarto.

Rosselló vell fol CCCXXI.

## XI

### v idus Martii M CCC xxxiv (N. 1335)

*Que les causes de la vniuersitat sien decidides per los ordinaris e no per lo lochtinent general.*

Nos Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani, notum facimus quod per Guillermum Arnaldi de Insula, domicellum, Philippum Valentini, Paulinum Brondo et Raymundum de Alorde, nuncios ad nos missos per fideles nostros iuratos et probos homines Maioricarum, fuit a nobis supplicando petitum, quod, cum dudum aliqui iurati Maioricarum in fauorem eorum obtinuerint, quod negotia vniuersitatis Maioricarum in curia locum nostrum tenentis ibi discuti debeant et finiri, hocque vniuersitati eidem sit dampnosum et contra illorum franquesias introductum, cognitiones et determinationes dictorum negotiorum dignaremur reducere ad ordinarium ad quem spectat. Supplicationem igitur huiusmodi ad exauditionis gratiam admittentes, cognitiones causarum et litium negotiorum quorumlibet dicte vniuersitatis ad curias ordinariorum, vigore presentium, reducimus, sic quod ibi debeant iuxta dictas franquesias terminari, inhibentes locum nostrum tenenti Maioricarum presenti et illis qui pro tempore fuerint in officio ipso, ne cognitionem vel decisionem dictorum negotiorum sibi ex nunc vendicent pretextu ordinationis predicte super hoc, vt predicitur, emanate,

sed illa cognosci et finiri iuxta ordinationem nostram presentem per ordinarios faciant et permittant. Datum in loco de Turri subtus Elnam quinto idus martii anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto.

Abelló fol XCIII.

## XII

### v idus Martii M CCC xxxiv (N. 1335)

*Que los nauilis que sarmaran, dels quals se suspit, que puxen esser arestats fins que sia proueyt a la indemnitat dels subdits del senyor rey.*

Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto locum nostrum tenenti in regno Maioricarum, salutem et dilectionem. Ad nos missi nuncii per fideles nostros iuratos et probos homines Maioricarum, Guillermus Arnaldus de Insula, domicellus, Philippus Valentini, Paulinus Brondo et Raymundus de Alorda, petierunt a nobis humiliter supplicantes, quod, cum ex dampnis illatis per armatas maritimas aliquorum de Maioricis subditis illorum cum quibus sumus in treugua et pace secute fuerint et sequantur contra subditos nostros marche seu represalie et dampna aliqua innumera, et nunc armentur aliqua vasa maritima in Maioricis, aliquorum de quibus suspicatur quin dicta dampna contra nostros subditos subsequantur, mandare dignaremur vasa huiusmodi detineri ad requisitionem dictorum iuratorum, nec laxari nisi demum tali prouisione facta quod contra nostros fideles sequi nequeant dicta dampna. Nos itaque, supplicatione huiusmodi benigne admissa, mandamus uobis etiam, si aliqua vasa maritima ibi armentur vel in posterum armabuntur, ex quorum factis dampna posse contingere contra nostros subditos suspicetur, illa ad requisitionem dictorum iuratorum arrestari faciatis vel etiam detineri, quousque indempnitati subiectorum nostrorum inde debite sit prouisum. Dat. in loco de Turri subtus Elnam quinto idus martii anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto.

Abelló fol XCIII.

## XIII

### v idus Martii M CCC xxxiv (N. 1335)

*Que los reyms quis vendran a manut no sen pach delme, si en aço consentira lo bisbe, e axi que en frau del delme nos puxe presumir vendes de tals reyms fer se en massa multitud.*

Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Fidelibus procuratoribus nostris in regno Maioricarum, Bernardo Jane et Bernardo de Valleuiridi, salutem et gratiam. Ad nos missi nuncii, Guillermus Arnaldi de Insula, domicellus, Philippus Valentini, Paulinus Brondo et Raymundus Olorda, pro parte fidelium nostrorum iuratorum et proborum hominum Maioricarum, a nobis suppliciter petierunt, quod, cum cultores et alii vendentes racemos in plateis minutim per vos pro illis ad solutionem decime compellantur, et hoc redundet in preiudicium franquesiarum Maioricarum, vos a compulsione huiusmodi cessare facere dignaremur. Quare mandamus vobis, quatenus, si venerabilis in Christo pater episcopus Maioricarum ad id consentiat, ab exactione decime pro dictis racemis qui venduntur ut predicitur desistatis, ita tamen quod in fraudem decime ipsius non possit presumi verisimiliter venditiones ibi fieri de nimia multitudine talium racemorum. Datum in loco de Turri subtus Elnam quinto idus martii anno Domini M.° CCC.° tricesimo quarto.

Abelló fol XCIII v.°

## XIV

### v idus Martii M CCC xxxiv (N. 1335)

*Ques puxe mesurar lo oli ab mesures pegellades o comprouades ab les originals mesures.*

Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Fidelibus procuratoribus nostris in regno Maioricarum, Bernardo Jane et Bernardo de Valleuiridi, salutem et gratiam. Pro parte fidelium nostrorum iuratorum et proborum hominum Maioricarum ad nos missi nuncii, Guillermus Arnaldi de Insula, domicellus, Philippus Valentini, Paulinus Brondo et Raymundus de Olorda, nobis humiliter supplicarunt, vt, cum vos feceritis in Maiori-

cis per precones publice nunciari, quod nullus audeat mensurare oleum ibi nisi cum mensuris nostris, et scientibus emptoribus mensuragii nostri, ibidem aut aliis, accommodare gerras proprias mensuragii, sub penis certis, hecque, vt asserunt, redundent in oppresionem et subiectionem nimiam habitatorum Maioricarum et contra eorum franquesias ac solitum vsum, preconizationes ipsas (1) reuocari et modum vsitatum seruari facere dignaremur. Nos igitur volentes super hiis debite prouidere, mandamus uobis, quatenus dictos habitatores, dum tamen consueuerint habere mensuras proprias et vti eisdem, vt predicitur, permittatis cum illis oleum proprium mensurare et illas ad mensurandum aliis accommodare, dummodo signate et comprobate fuerint cum mensuris domus iuratorum Maioricarum vbi originales mensure tenentur ciuitatis et terre; ex hiis tamen nullum preiudicium alias parari volumus nec intendimus iuribus nobis competentibus in et pro nostro mensuragio antedicto: et quantum est pro nunc dictas preconizationes faciatis, visis presentibus, reuocari, et ex tunc nihilominus motum vestrum quare talem ordinationem et preconizationes ipsas fecistis fieri et super aliis nobis significare curetis. Dat. in loco de Turri subtus Elnam quinto idus martii anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto.

Abelló fol XCIV.

## XV

### iij idus Martii M CCC xxxiv (N. 1335)

*Que lo gouernador haie tres liures cascuna vegade que va per questions de fites.*

Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie et dominus Montispessulani. Dilecto locum nostrum tenenti in regno Maioricarum, salutem et dilectionem. Pro parte fidelium nostrorum iuratorum et proborum hominum Maioricarum missi ad nos nuncii, Guillermus Arnaldi de Insula, domicellus, Philippus Valentini, Paulinus Brondo et Raymundus de Alorda, proposuerunt suppliciter coram nobis, quod quando vos et assessor vester accedatis ad partitiones seu diuisiones baronias vel capdalias concernentes, iuxta litteram et ordinationem, felicis recordationis, domini regis Sancii, patrui nostri, nullum debet, nisi notario, salarium inde dari, sed prouideri vobis, sequacibus et animalibus vestris in uictualibus competenter; et cum ex prouisione huiusmodi partes habeant subire sepe nimios sumptus et decens salarium, accedentes a nobis suppliciter petierunt, vt dictam alimentorum prouisionem taxare, sic quod partes non teneantur ad alia nisi ad salarium seu pensionem notarii dignaremur. Quare mandamus uobis *et* vestris in officio vestro, vt ex nunc pro dictis alimentis diei cuiuslibet a partibus, cum ad dictas partitiones vos continget accedere, sexaginta solidos tantum recipiatis, videlicet ab vtraque partium triginta solidos regalium Maioricensium minutorum, de quibus vel assessori, notario et aliis ex eorum officio uobiscum accedentibus ad predicta prouideatis et prouidere debeatis prout partes ad hec antea tenebantur. Verumtamen partes eodem, ultra dictos sexaginta solidos, satisfacere notario pro scripturis debeant et labore. Dat. in loco de Turri subtus Elnam tertio idus martii anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto.

Abelló fol XCII v.°

## XVI

### iij idus Martii M CCC xxxiv (N. 1335)

*Que lo veguer de fora no pos la ma en monedes dels homens de fora.*

Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto locum nostrum tenenti in regno Maioricarum, salutem et dilectionem. Fideles nostri jurati et probi homines Maioricarum miserunt ad nos suos nuncios, Guillermum Arnaldi de Insula, domicellum, Philippum Valentini, Paulinum Brondo et Raymundum de Olorda, qui, pro parte eorum, a nobis humiliter petierunt, ut, cum vicarius noster forensis ibi in parte monete que, juxta ordinationem regiam de adjutoriis vicinalibus seu contributionibus communibus, traditur per dictos juratos probis hominibus forensibus, in certos vsus et opera conuertenda, juxta ordinationem eandem, manum suam ponat et impediat forenses ipsos, dignaremur mandare, ne idem vicarius aut alius officialis noster de

(1) Havem presa la paraula *ipsas* del texte d'aquest Privilegi insert en el codex Rosselló vell fol CLXXV, per faltar en el del Llibre d'En Abelló, de hont el copiam.

dicta pecunia se intromittat, sed quod conuertatur in operibus vtilibus, juxta ordinationem predictam super hiis factam per illustrem dominum Sancium, regem Maioricarum, patruum nostrum, memorie recolende. Quare mandamus uobis, quatenus dictam partem pecunie recipi et teneri faciatis per probos homines forenses jamdictos, nec in hoc illos impediri per dictum vicarium aut quemuis officialem nostrum alium permittatis; verum distributionem dicte monete fieri jubemus et uolumus in operibus necessariis et vtilibus, juxta ordinationem predictam, prout dicto vicario et ipsis probis hominibus forensium visum fuerit faciendum. Sicque ex nunc faciatis firmiter obseruari. Dat. in loco de Turri subtus Elnam tertio idus martii anno Domini M° CCC° xxx° quarto.

Lib. II del Sindicat de Fora fol XIX.

## XVII

### iij idus Martii M CCC xxxiv (N. 1335)

*Quod non vendantur scribanie curiarum nec carcellaria Majoricarum.*

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie et dominus Montispessulani. Fidelibus procuratoribus nostris in regno Maioricarum, Bernardo Jane et Bernardo de Valleuiridi, salutem et gratiam. Venientes ad nos pro parte fidelium nostrorum juratorum et proborum hominum Maioricarum Guillermus Arnaldi de Insula, domicellus, Philippus Valentini, Paulinus Brondo et Raymundus de Olorda, nuncii destinati, a nobis petierunt humiliter supplicantes, quod, cum ex venditionibus scribaniarum curiarum et carcellarie Maioricarum plures extorsiones fiant et indebita palam et occulte preter morem tatxatum et solitum exhigantur, dignaremur cessari facere venditiones huiusmodi, et scribanias ipsas ac carcellariam committi bonis sufficientibusque personis. Quare mandamus uobis, quatenus dictas venditiones vlterius non faciatis, sed scribanias et carcellariam easdem ad manum uestram, visis presentibus, reducatis, sic in dictis scribaniis boni et sufficientes notarii ac persone honeste et in carcellaria vnus probus homo et idoneus per uos constituatur, qui de emolumentis dictarum scribaniarum et carcellarie uobis respondeant et rationes ac aliqua reddant; vosque, attentis laboribus illorum et conditionibus officiorum ac personarum, eis de decentibus salariis prouideatis. Hoc itaque seruetis firmiter et faciatis etiam obseruari, venditionibus seu concessionibus ad tempus per nos factis aut alias nostro nomine non obstantibus super istis. Dat. in loco de Turri subtus Elnam tertio idus martii anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto.

Pergamí número LXXIV.

## XVIII

### iv idus Aprilis M CCC xxxv

*Edictum regium seu constitutio super rebus alodialibus que vendentur vel alienabuntur.*

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilectis locumtenentibus, vicariis, baiulis, procuratoribus et aliis officialibus nostris ciuitatis et regni Maioricarum et insularum adiacentium ipsi regno, presentibus et futuris, salutem et dilectionem. Noueritis nos quandam perpetuam constitutionem fecisse, que sequitur in hec verba: Quoniam nos Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani, subditorum et justiciabilium nostrorum jura illibata seruari et ipsa fore extranea ab omni diminutionis dispendio desiderabiliter affectamus, nostre libenter super hoc sollicitudinis studium adhibendo, non impari, immo multum fortiori ratione, pro nostris et regni nostri aliarumque terrarum nostrarum juribus et honoribus conseruandis, ex injuncto et commisso nobis regni gubernaculo regalis circumspectionis prouisionem tenemur impendere ne, temporibus nostris, vsurpationis injuriam subeant aut aliquod detrimentum incurrant; eapropter attendentes quod nostra jurisque nostri fischalis plurimum interest habere subiectos locupletes, quia noster fischus semper habundabit, vtens subiectis locupletibus quibus per nos vel successores nostros, locis et temporibus opportunis, indici vel imponi poterit tallia seu collecta pro suarum modo et magnitudine facultatum, quibus collapsis vel per nos-

tros subditos in aliquos priuilegiatos translatis, cessare necessario haberet imponenda aut indicenda, tempore necessitatis seu euidentis vtilitatis, per nos vel nostros posteros personis subditorum nostrorum pro rebus et facultatibus suis tallia seu collecta; insuper etiam aduertentes quod vbi justiciabiles nostri, immediate vel etiam mediate nobis subiecti, bona sua in personas aliquas vel collegium alienant, que sunt priuilegiis jure vel hominis communite, vtpote in manum mortuam, vt verbis vtamur vulgaribus aliquorum, in multis aliis sit deterior conditio fischi nostri, quia penis pecuniariis, presertim confiscationis bonorum, et, suo casu, exhigente justitia, inferendis in ipsis, ex tunc eos non poterimus coercere, nec ipsa bona ex tunc ad nos, ex premissis vel similibus causis, poterunt peruenire, sicque interesse nostrum et fischi nostri per alienationes tales plurimum posset pro tempore deperire: prouida deliberatione prehabita et multa maturatione, digesto consilio, statuendum ducimus et censimus, vt quicumque noster subditus aut subdita in terris nostris cismarinis sub dominio, feudis vel retrofeudis nostris vbilibet constitutus vel constituta res vel possessiones alodiales, vnam vel plures, ex nunc vendere aut alio quocumque titulo, grat uito vel non gratuito, seu alias transferre uoluerit cum effectu, in vita vel in morte, in loca seu personas quibus per nos vel successores nostros indici seu imponi non posset tallia seu collecta, vel que recusare quomodolibet possent alia nobis exhibere seruitia ad que venditor rei alodialis teneri posset, de consuetudine vel de jure, nobis et successoribus nostris quartam partem pretii seu valoris rei ipsius alodialis sic vendite vel translate assignare et soluere teneatur pro nostro fischique nostri interesse et conseruatione juris, dampnoque nostro seu fischi nostri vitando et penitus repellendo. In regno uero Maioricarum et insulis adiacentibus ipsi regno, quia ibi maius est interesse nostrum et fischi nostri propter pericula paganorum conuicinorum et insularum depopulatione ipsarum, ex dictis venditionibus et translationibus rerum et possessionum alodialium tertiam partem pretii seu valoris rei alodialis sic vendite vel translate per transferentem seu venditorem rei ipsius nobis et successoribus nostris consimiliter assignari volumus atque solui. Si vero res illa alodialis vendita vel alias transportata, modis seu titulis superius expressatis, esset forsitam et consisteret in censibus seu prestatione pecunie vel alterius rei cuiuslibet percipiendis, cum laudimiis et foriscapiis, in et super aliquibus immobilibus rebus, jure directi dominii, tunc in ipsius census seu prestationis alienatione, si illam transportari contingat in qualemcumque alium seu alios a quibus nos seu fischus noster tallias seu seruitia suprascripta exhigere non possemus, seruetur forma superius expressata. Vero si res illas immobiles obnoxias censui seu prestationi per illos qui dominium vtile in ipsis habent postea alienari, modis predictis, contigerit vel alias quoquomodo in personas seu loca consimiliter priuilegiatas, in quarum acquisitione jus nostrum consimiliter lederetur, prout est supradictum, siue hoc sit per retentionem illius vel illorum qui ex priori census acquisitione directum dominium inibi quesierunt siue alias quouismodo, tunc pro nostro interesse ab ipso vtili dominio, alienante rem huiusmodi censualem, pro qua ex tunc nulla seruitia habere poterimus, leuari et exhigi per procuratores nostros statuimus et mandamus quartam partem pretii rei sic vendite aut eius valoris et estimationis sic translate, in partibus videlicet cismarinis; in vltramarinis vero partibus, scilicet in regno Maioricarum et insulis supradictis, quia ibi est maius interesse nostrum et fischi nostri, vt prefertur, tertiam partem dicti pretii leuari et exhigi per procuratores nostros statuimus et mandamus. Hec autem obseruari volumus vbicumque in terris nostris predictis, si res ipse alodiales sic translate fuerint situate in locis seu castris vbi nos habemus jurisdictionem, siue etiam castra seu loca ipsa vbi situate fuerint res huiusmodi a nobis teneantur in feudum vel retrofeudum. Si autem loca ipsa seu castra vbi situate fuerint res huiusmodi alodiales ab aliis dominis temporalibus teneantur, nec sint de nostro feudo vel retrofeudo, tunc quia propter jura regalie nostre interest etiam nostra tales alienationes non fieri propter dampna que, ex causis predictis, in locis huiusmodi sustinemus, non tamen in tanto nostra interest quanto in locis aliis de quibus superius est expressum, ideoque in quocumque casu de superius ordinatis alienationem rei alodialis situate in locis illis fieri contigerit,

sextam partem pretii seu valoris rei sic vendite vel translate, in nostris partibus cismarinis, et a transferente seu venditore rei illius, in singulis casibus expressatis, per nostros procuratores nobis et fischo nostro decernimus applicari. In regno vero Maioricarum et insulis eidem adiacentibus, quartam partem pretii seu valoris rei, in eisdem casibus, decernimus applicari. Saluo tamen, quod si ecclesia quecumque vel monasterium habet jurisdictionem omnimodam in loco illo vbi res alodiales sunt, et in ipsam ecclesiam vel monasterium que habet omnimodam jurisdictionem ibidem res illa alodialis fuerit transportata, tunc nichil omnino a venditore vel transferente, occasione (1) premissa vel alia, exhigi volumus vel leuari, in nostris partibus cismarinis; in regno tamen Maioricarum et insulis supradictis, ex causis superius expressatis, quartam partem dicti pretii seu valoris rei haberi volumus et jubemus. Addicimus tamen, quod si res alodialis huiusmodi vendita esset forsitam talis vtpote castrum vel villa aut alia res pretiosa, quod procuratores nostri viderent enorme dampnum nobis imminere posse vel succedentibus nobis si aliquo, de modis et causis superius expressatis, vt premittitur, venderetur vel alio alienationis titulo transferretur in loca seu personas superius expressatas, eo casu volumus, statuimus et mandamus, quod dicti procuratores nos consulant antequam illa transeant cum effectu, nobisque significent omnia seriose, vt nos deliberate arbitrari possimus quid agendum fuerit casu ipso et nostre indempnitati commodius prouidere. Per premissa tamen aut aliqua de predictis non intendimus inhibere quin nostri subditi dictas res et possessiones suas pro sue voluntatis libito alienare, et quin quecumque persone et loca ad ipsarum rerum acquisitionem accedere valeant, sed solum ad conseruationem juris et interesse nostri super eis intenti esse volumus, vt tenemur. Que sunt acta in camera consilii castri regii Perpiniani quarto idus aprilis anno Domini M.º CCC.º tricesimo quinto. Mandamus igitur vobis et vestrum singulis, quatenus predictam constitutionem nostram et omnia et singula supradicta deducatis ad notitiam juratorum et vniuersitatum locorum insignium que sunt in terris officiis vestris commissis, atque notariorum et curiarum qui et que sunt in eis, vt proinde omnibus patefiant; eaque seruetis firmiter et faciatis per omnia obseruari: vobisque locumtenenti Maioricarum injungimus et jubemus, vt ceteris officialibus quibus nostra presens litera dirigitur eadem, prout breuius poteritis, presentetur, vel sub vestro sigillo eis dirigatur integraliter et complete. Dat. Perpiniani idus aprilis anno Domini M.º CCC.º tricesimo quinto.

Sant Pere fol CXXV v.°

(1) El Mss. diu *ecclesie* per *occasione*; en altre texte qu' havem pogut confrontar, insert en el Liber Litterarum regiarum de 1332 a 1336, s' esmena l' equivocació.

## XIX

### iv kalendas Decembris M CCC xxxv

*Littera treuge indicte inter reges Aragonum et Majoricarum et Commune Janue.*

Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto Petro de Pulcro Castro, militi, domino Villelonge, locum nostrum tenenti in regno Maioricarum, salutem et dilectionem. In guerra que est inter nos et illustrem dominum regem Aragonum et gentes vtriusque, ex parte vna, et januenses, ex altera, noueritis treugam indictam fuisse per illustrem dominum regem Ffredericum, que treuga est vsque ad proxime instans festum natalis Domini et de ipso festo ad vnum annum. Quare mandamus vobis, ut treugam ipsam faciatis enuntiari et publicari voce tube in ciuitate Maioricarum subditis nostris et per eosdem seruari. Dat. Perpiniani quarto kalendas decembris anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quinto.

Pergami número LXXVI.

## XX

### xv kalendas Januarii M CCC xxxv

*Quod milites qui acquirent res subjectas antea talliis, non teneantur ad prestationem illam quam in quadam constitutione* (V. núm. XVIII) *pro ipsis rebus prestari decernitur; nequeant vero emere plus quam ex constitutione pridem facta ipsis permittitur.*

Nos Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Ad humilem supplicationem personarum militarium regni Maioricarum et insularum ei adiacen-

tium, vigore presentium, declaramus, quod illi *qui a quibusdam* (1) acquirent, titulo gratuito vel alio, res subiectas antea talliis vel collectis indicendis aut imponendis per nos subditis nostris, tempore necessitatis aut euidentis utilitatis, non teneantur ad prestationem illam quam in quadam constitutione nobis pro ipsis rebus prestari decreuimus ratione interesse nos et fischum nostrum concernentis, cum res eedem transferuntur in personas uel locha quibus per nos uel nostros posteros pro illis indictio aut impositio nequeat fieri supradicta. Per declarationem autem huiusmodi dictis personis militaribus licere non intendimus vltra emere, in dictis regno et insulis, quam esset permissum eis ex constitutione antea inde facta. Mandamus itaque procuratoribus et aliis officialibus nostris in dictis regno et insulis, presentibus et futuris, quatenus declarationem huiusmodi firmam habeant et obseruent et faciant obseruari. Dat. Perpiniani sub sigillo nostro pendenti quinto decimo kalendas januarii anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quinto.

Confraria de Sant Jordi fol XVIII v.°

## XXI

### Pridie nonas Januarii M CCC xxxv (N. 1336)

*Quod exequutores domus jurarie Majoricarum debeant determinare quoscumque contrastus pendentes et eos qui movebuntur pro quibuscumque gestis et administratis de bonis universitatis.*

Nos Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani, notum facimus vniuersis, quod volentes negotia vniuersitatis Maioricarum finem sortiri debitum et felicem, ad supplicationem nobis factam pro parte fidelium nostrorum juratorum Maioricarum ducimus, vigore presentium, de speciali gratia concedendum, quod exequutores domus jurarie Maioricarum qui nunc sunt et inantea fuerint possint et debeant determinare quoscumque contrastus pendentes et eos qui in posterum mouebuntur pro quibuscumque gestis et administratis de bonis vniuersitatis Maioricarum, scriptis quibuscumque cessantibus atque lite; et quod sic fuerit terminatum, per officiales nostros Maioricarum, prout ad eorum officia pertinuerit, exequi volumus, lite cessante consimiliter atque scriptis, et compelli etiam, si necesse fuerit per captionem personarum, eos qui dicta negotia gesserint dicteque vniuersitatis bona ministrauerint ad hostendendum libros originales de administratis huiusmodi et gestis, ac aliis juris remediis opportunis. Et si forsam ex quouis casu seu causa hec ad ordinarium judicium nostrarum curiarum deduci necessario oporteret, per ordinarios ipsos sine scriptis et lite in contrastibus ipsis ad eorum judicium sic deuentis justitiam exhiberi volumus et jubemus. Hec etiam omnia et singula supradicta seruari volumus et teneri in contrastibus motis et pendentibus inter dictos juratos et Bernardum de Valleuiridi, procuratorem nostrum Maioricarum, et Jacobum de Aulesia et Matheum Besanta de Maioricis. Mandantes locumtenenti et aliis officialibus nostris Maioricarum, presentibus et futuris, quatenus gratiam nostram huiusmodi obseruent firmiter et faciant obseruari. Dat. Perpiniani pridie nonas januarii anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quinto.

Pergamí número LXXX bis.

## XXII

### iij idus Junii M CCC xxxvj

*De probatione suspitionum contra exequutores.*

Nos Jacobus Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani, notum facimus vniuersis, quod ex parte fidelium nostrorum iuratorum Maioricarum fuit nobis humiliter expositum supplicando, quod nonnulli administratores et negotia gerentes vniuersitatis Maioricarum seu qui de bonis vel pecuniis ipsius vniuersitatis aliqua receperunt, ad elidendum et defugiendum beneficium nostrum quod pro dicta uniuersitate indulsimus exequutoribus domus iurarie, de quo constat per litteram nostram datam Perpiniani pridie nonas ianuarii anno Domini M.° CCC.° xxx.° v.°, nituntur contra dictos exequutores suspitiones proponere et allegare, ut tali modo valeant ipsos excludere et repellere a negotiis eorumdem, uel saltim

(1) Original *illi a quibus eedem*, lo qual no fa sentit.

